

BIBLIOTEKA

Zakł. Nar. im. Ossolińskich

XVI


3228

*Exegesis  
Joachimi Vadiani Helvetii.*

1515.

14178

VIII. fl. 39<sup>6</sup>



1603

1603

Ioachimi Vadiani Heluetii. Poet. Laurea. de Vadia,  
noꝝ familiæ iſignibus, a Sigismūdo primo R. Rege  
donatis. ad Melchiorē Vadianū fratrē Exegefis.



Rudolphi Agricolæ Rheti ad Ioachimū von Watt,  
alias Vadianum, Carmen.

Bina homini prosunt cœlesti præstita nutu

Virtutis clarum sanguinis atq; decus.

Quæ duo, si fuerit quisquam sortitus, abunde

Faustus, & ad normam rite beatus erit.

Anne utrunc; tuum est? Certe non ullius unquam

Indigus, utrunc; hoc mi Vadiane tenes.





Vr proavis data sint quæris iſignia, frater,  
Quæ uolucres referat pte ab utraq; feras.  
Mirarisq; graue galea, clypeūq; choruscū,  
Curq; auro Gryphes texta cathena liget.  
Anne aliquid teneat ratio diuersa colorum  
Et signis lateat causa petenda suis.  
NOSCE breui, Frater germane, ex carmine causas  
Et Musis præsta per sua sacra fidem.  
Non tibi palpanti resonabunt pectine nugæ,  
Nec feret expertes pagina cassa logos.  
Veraces rerum seruant monumenta Camcenæ  
Et memori historiæ pulcher Apollo sauet.  
AD iuga Ryphei, gelidus ubi cominus axis  
Girat in ambiguas Arctophilaca uices.  
Qua geminis terræ facturus partibus oram  
Fert Tanais celeres sorte superbis aquas.  
Est animal Scythicis fodiens e montibus aurum  
Inq; ferens clarum coeca metalla diem.  
Hoc Europæis opibus natura dicauit  
Sarmata qua syluas, trux & Alanus habet.  
Torua quidem species animali, horredaq; forma est,  
Et dubito an uolucrem dixero an esse feram.  
Quadrupedante gradu non uictum robore corpus  
Per patulos, cruda messe uagatur agros.  
Sæpe leuatur humo, nigrisq; innititur alis,  
Et denso frendens aere sæpe uolat.  
Ignemicant oculi, curuatur acumine rostrum,  
Sibilat & grandi ligua retorta sono.  
Fulta toris ceruix, præacutis auribus extat,  
Fronsq; minax strenui signa uigoris habet.

BIBL.  
ZH 19

XVI. Qu. 3228

Horrescunt uillis armi crispantibus atri,  
Asperat & fissos ungula acuta pedes.  
Cauda ferit clunes talos summissa sub imos,  
Et nodum hirsuto turbine finis habet.  
Parte hac Marmarico forma confine Leoni,  
Qui Masyle tuas depopulatur oves.  
Ipsa uocat Gryphem, saeculis spaciofa uetus as  
Hocq; hodie durans nunc quoq; nomen addit.  
• Vnoculi gens rara colit uicina Arimaspi,  
Qui debent Scythicis moribus esse seri.  
Quis corpus siluestre, horrens inultaq; membra,  
Quis fronti uifus unicus orbis inest.  
Nominis hinc positi ratio fluxisse putatur  
Quod nota compertis consona rebus erat.  
Stat flauus tereti collectus uertice pilus  
Oraq; nigrescens marcida barba tegit.  
Diuitibus rapto crinis substringitur auro  
Inq; rudi formam corpore praeda iuuat.  
Hirsutis tegitur brumali frigore braccis  
Et terram raro uornere pauper arat.  
Sedibus incertos nunc hic nunc considet illic,  
Ut iubet insertum uasta per atua nemus.  
Vtrinq; insolitae duranti sydere uires  
Vitaq; maturo reddita fine manet.  
Accola Gesglitron tractum uocat, aurea moles  
Et laudem uiridis inde Smaragdus habet.  
Hi, quem rimatur locupletes monte cauernas  
Gryphs celer, & uenit aurea grana legit,  
Inq; diem foetam præciosæ metcis harenam  
Et flauum duro pondus in ore uehit.

Scilicet insignem Genio structurus aceruum,  
Et solitas tumulo compositurus opes.  
Conantur prædam uersuti atq; omnia tentant,  
Nec solitis absunt bella cruenta dolis.  
Peruigil intento spectans Arimaspus ocello  
Vicinum spoliis destinat arte locum.  
Et quamuis gemini priuetur luminis usu,  
Grana tamen uenüs aurea fracta uidet.  
Et uidet haud paruo pensandas ære Smaragdos,  
Inq; illis lucri prima cupido manet.  
Tum uarias trepido discernit pectore curas,  
Et sparsas uires colligit ira procax.  
Tunc animus pugnæ statuit momenta futuræ,  
Tunc licitæ pergit fraudis iniure uiam.  
Nec uolucrem specula laborantem cessat ab alta  
Sectari in longam, uasta per antra diem,  
Ceu solet e ramis iunctus Scytha Phasidos undis,  
Hic ubi Discheris arua inimica patent.  
Qui, dum securus damni per densa uiator  
Arbusta, & uirides itq; reditq; rubos.  
Labitur elati suribundus caudice trunci,  
Et misero saturat prædo cruore manus.  
Ceu Draco in eois Elephantem plectere siluis,  
Seç simul casu præcipitare solet.  
Post ubi fulgentes preciosæ mercis aceruos  
Innata solito Gryphs tulit arte specu.  
Et numerat Genio sic instigante lapillos,  
Computat & læto candida frusta die.  
Quod solet enixo luxata puerpera factu,  
Dum slobolis membris hæret amore nouæ.

Ille sua tandem pernix statione relicta  
Prouocat affines horrida in arma uiros.  
Nec mora, conueniunt, & acutas ære sagittas  
Sustinet ad læuum nexa pharetra latus.  
Et rigido laxus neruo contenditur arcus,  
Quo celerem feriant spicula iacta feram.  
Sunt qui nodosam uicino stipite frondem,  
Lapsaq; saxifero culmine frusta petant.  
• Utq; cito prædæ rapitur mens coeca furore,  
Sic subitus quæuis prensat ut arma furor.  
O nimium studiis hominum sociata cupidus,  
O nimium ueris æmula facta bonis.  
Quid tanta ardentes rapis in discrimina motus?  
Quid faciles animos implicuisse iuuat?  
Vt uili uendat preciosas ære Smaragdos  
Censuram fati trux Arimaspus obit.  
Comparat & fuso flauentem sanguine glebam,  
Veneat ut grandi præda redempta lucro.  
Nam fera dum solitis experti militis armis,  
Dum se se nota conspicit arte peti.  
Perstat, & extemplo rabiosam colligit iram,  
Ceu Getula solet lapsus in arma Leo.  
Tensaq; uersuto prospectat cornua uisu,  
Et forti uitat tela agitata manu.  
Quin etiam quum prensa furor nimis ingerit arma,  
Non est frendenti saxa per alta modus.  
Insilit & nigris crassum quatit aera pennis,  
Et gyro illudit tela inimica uago.  
Cominus insultat iam nunc delapsa Arimaspo,  
Iam dicto citius celsa suo astra uolat.

Iam conuersa cadit, rostroq; armata cruento,  
Hostica multifido uulnere membra petit.  
Sæpe oculum sola nutantem fronte papilla  
In prædam uisus ungula iacta rapit.  
Sæpe etiam celeres (si uera est fama) sagittas,  
Et tensos arcus ferre ad inane solet.  
Nec iaculis arcuq; feroceſ ſegnius hostes  
Ordiri, & liquido bella ciere polo.  
Interea ſi quis raptor procubit in aurum/  
Subtrahit & cupida gemmea fruſta manu.  
Ditia uix patiens iugi ſibi parta labore  
• Dona rapi, inſuetum frendere in arma ſolet.  
Insultuq; ſero fugientes cominus hostes  
Sectari, & prenſis ſæpe parare necem.  
Ut ſolet Hyrcanis Tygris in uallibus errans,  
Caspia terrifico dum ſubit antra gradu.  
Et ſœtu priuata furit, catulosq; ferentem  
Raptorem ſæuo dente inimica petit.  
Non hanc impediunt longa interualla uiarum,  
Non qui mœrentis pignora portat equus.  
Quin lustris ſobolem repetitis paſſibus indat,  
Perq; auſtum nunquam fefra recurrat iter.  
Gryphibus haec pugna eſt, Frater, coecisq; Arimaspis  
Quæ ſolet eoꝝ tractibus eſſe plagæ,  
Quum ſolidis Formica legit de rupibus aurum,  
Indus & excerptæ fragmina mercis adit.  
Quum Phœbi longo tellus incenditur æſtu,  
Et medio fugitur ſub caua luſtra die.  
Iſta adeo finem renuit ſcelerata cupidio,  
Nec habet armorum pefſis auara modum.

HAEC NOSTRI quondā maiores praelia norāt,

Venerat Arctoo fama petita mari.

Nouerat aligeræ regni qui sceptra gerebat

Sismundus pugnas ingeniumq; feræ.

Et placuit rebus conformia signa reponi,

Per quas Virtutum conciperentur opes.

Hic uoluit Gryphes rebus monumenta gerendis,

Et gestis nostræ munus adesse domus.

Hic sensum exposuit quem præse ferret imago,

Quem non obscurō carmine, Frater, habe.

AVREA non nunquā quæ sunt preciosa uocamus,

Aut quæ momentum nobilitatis habent.

Nam graue nec flammis nec tempore uincitur aurū,

Inq; suo perstat sœcula cuncta gradu.

Aurea progenies, atq; aurea uæna loquendi,

Aurea quin Vatum carmina nomen habent.

Aurea cœlestis dicuntur sidera flammæ,

Aurea lux terris: aurea uere Venus.

Deniq; Saturni quondam aurea sœcla fuere,

Quod nulli uicio tunc erat orbe locus.

Et steterant placido connexa elementa uigore,

Astraq; per terras munera grata dabant.

Recte igitur Virtus nomen sibi uendicat auri,

Quo nil sidereo pulchrius orbe bono est.

Quoq; animis paritur nostris non falsa uoluptas,

Et uitæ nullo turbine fracta quies.

AT Gryphes in frusta auri uiridesq; Smaragdos

Vt non ulla lucri spes ratio ue mouet,

Sed duce natura Genioq; ad pulchra uocante

Sola uoluptatis dona & amoris habent.

Sic animus cœlo dignus & perpetæ fama  
Virtutis merito præmia cuncta locat.  
Et molles uitæ tenuis contemnit honores,  
Nec nisi quos clare facta merentur, obit.  
Promptus in obsequiū miseris, Patriāq; labanti  
Securas mortis exhibuisse manus.  
Quum scelus oppositis meditatur mœnibus hostis,  
Et tacitos solita colligit arte dolos.  
Nec placidis nimium confidit Nauita uentis,  
Cum iacet & cunctans ocia pontus agit.  
Nec nimis in mediis animo collabitur undis,  
Quum mare non æquis fluctibus astra ferit.  
Sed mediis constansq; sibi, subit obvia fato,  
Sustinet & sortis cum ratione uices.  
Nullius hic rerum molitur commoda datum,  
Nec per quæsitas fraude superbit opes,  
Nec sinit ut sæuos agitet violentia motus,  
Iudice se magnum est ui rapuisse nephias.  
Irasci uiciis, ferro punire nocentes  
Fas putat & sanctis legibus esse locum.  
Fabricij mensas, Agathoclis pocula leudat.  
Et non magnifica uult habitare domo.  
Quicquid & est reliqui notis impertit amicis,  
Inq; leui uirtus pondere pondus habet.  
Vtq; sui Gryphem torques circumligat auri,  
Quod rigida multo caute labore uent,  
Quod summo partum uolucris defendit amore,  
Nec, ut amat, patitur ui sine parta rapi.  
Sic uero mentem Virtus circumligat auro,  
Quæ sine non Hercle parta labore uenit.

Quæ nisi per seriem texat sociata catenam

Altera & alterius grandia facta iuuet.

Non fluet exacto fulgor deductus honesto,

Et uicissim semper culpa superstes erit.

Est tamen, ut uirtus ornet priuata tuentem

Et uicina malo nobile tractet opus.

Ebria saepe fuit grauitas matura Catonis

Iusticiae incaluit regula saepe mero.

Cæsar is extollit famam clæmentia primi,

Qui libertatis, prima ruina fuit.

Quicq; malo uiires auxit Catilina furore

In castris pugnæ non fuit arte malus.

Pontica dū Syllæ rapti furor arma repressit

Pro patriæ augendo limite, pulcher erat.

Martius at postquam temerato sanguine campus

Vndauit, uiires non nisi abusus erant.

Quæq; suos Mario peperit uirtute triumphos,

Infarto facta est indice, sacra manus.

Cui non Alcidæ gesta inclyta nota fuere?

Cui non quæ uicit tot fera monstra manus?

Et tamen hæc fertur molli formidine quondam,

Stipatum fuso sustinuisse colum.

Thesea cognouit Marathon discrimine tauri,

Dictæo norunt facta relata solo.

Et tamen hunc uacuo fugientem littore Diæ

Perfidia insignem Cressa puella uocat.

Quocirca ille orbis uirtutum, hæc pulchra catena

Qua nitet omnimodis mens opulenta bonis.

Quaq; procul uiciis animus iubet omnia recte,

Et proba uel miniūm pensat amus sis opus.

Efficit, ut duret, carentis gloria famæ,  
Vt nulli subsint cætera gesta notæ.  
Nam male consulitur titulis, ubi culpa peracta  
Criminis, & uicii conscientia facta patent.  
Esto aliis digni uideamur laude, probati,  
Attamen & uicium qui trutinetur, erit.  
Sic duplii semper tracti retinebimur hamo,  
Et ueri nullo regula fine manet.  
Rumpit & insomnis decretam cura, quietem  
Quæ nisi sincera sistere mente nequit.  
PRISCA fides docuit, cœlorū ex arte cæthenam  
Pendere, & pressi tangere culta soli.  
Quam cœlos terris, & terras nectere cœlis,  
Et media extremis ordine cuncta, ferunt.  
Nimirum hæc illa est stellis dedueta cathena  
Quæ per uirtutis consona facta fluit.  
Quæ similes diuis animos extollit in astra,  
Quin & terriculis astrâ subesse iubet.  
Membrorum quæ sola diem sub carcere donat,  
Quæ mira quoduis luce peragrat opus.  
Hæc socios hominū cœtus componit & urbes,  
Hæc sanctas leges, sanctaque iura locat.  
Hæc pulchri, Frater, mensuram uendicat omnem,  
Cætera perfragili conditione ruunt.  
Sola hæc momento perstat fulgoris, ut aurum,  
Et parat in cylum ducta perenne decus.  
Cæcutiens uno petit hanc Arimaspus ocello,  
Astruit & falsum, cassa per arma, decus.  
Hic Arimaspi ambit, frater, me iudice, nomen,  
Qui seduentis falliter oge boni.

Et putat illecebris faciles capientia sensus  
Inter uirtutes posse tenere locum .  
Quumq; boni speciem præse ferat ampla uoluptas ,  
Et molle ingresso pollice monstret iter ,  
Nescius , atrocis sequitur uestigia metæ ,  
Orsaq; peruigilis prima doloris adit .  
Hæc auidam cænæ comitantur uulnera prædam ,  
Idalia hæc nouit ponere dona Venus .  
Damnantur merito doctis , Arimaspus Ariston ,  
Quiq; sibi comites Pyrrho & Heryllus erant .  
Quod uero longe uirtutis calle relicto ,  
Malebant sensu degenerare leui .  
Et desertores potius per castra uocari  
Impia , quam iusto tendere ad arma duce .  
Hos , qui uirtutis felicia signa ueretur  
Perdet , & inuictus hac duce miles erit .  
Hoītica nec subito depugnans arma timebit ,  
Palma est , erranti non habuisse fidem .  
Idcirco albenti clypeum depingere gypso ,  
Et Phaleras placuit cassidi adesse nigras .  
Ut solidum uitæ signarent iuncta tenorem ,  
Innato perstat robore uterq; color .  
FRATER habes breuibus nostri præconia doni ,  
Et quid picturæ pars sibi quæq; uelit .  
Tu recti sectare uiiam , nec te urgeat instans  
Error , & hoc tandem munere dignus eris .  
Ridendum est titulis spectari & imagine auita  
Si mens uirtutis perdita fruge caret .

FINIS.

Jheronymus Vietor ipressit. Añ. 1515. Meñ. Ian



